

Bibliothèque numérique



Deschamps, Joseph-François-Louis -  
candidat / Chopart, François -  
président. - De ani fistula

1772.

*Paris : Typis P. AL. Le Prieur,  
Regii Chirurgorum Collegii  
Typographi,*  
*Cote : ms 2344, n°8*

# DE ANI FISTULA.

# THESES

## ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

*Quas, Deo Juvante, & Præside M. FRANCISCO  
CHOPART, præclaræ Artium Facultatis & Chirurgiæ  
Magistro, nec non Anatomes & Chirurgiæ in Scholâ  
practicâ Professore, tueri conabitur JOSEPHUS - FRAN-  
CISCUS - LUDOVICUS DESCHAMPS, carnutæus, in alma <sup>du Docteur</sup>  
Universitate Parisiensi Liberalium Artium Magister, nuper <sup>de Choisy</sup>  
Nosocomii Charitatis Parisiensis Chirurgus præcipuus, nunc  
ejusdem Nosocomii Chirurgus consiliarius; Theseos autor.*

P A R I S I I S,  
I N R E G I I S C H I R U R G O R U M S C H O L I S ,

*Die Sabbathi, primâ Augusti, à sesqui-Secundâ post meridiem ad Vesperam  
A. R. S. H. 1772.*

PRO ACTU PUBLICO  
ET  
SOLEMNI COOPTATIONE



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii  
Typographi.

M. DCC. LXXII.

I

DE ANI FISTULA

# THESE

ANATOMICO-CIRURGICA

GIACINTO LANTERNA - LIBRERIA DELLA UNIONE

GIACINTO LANTERNA - LIBRERIA DELLA UNIONE

MILANO - 1830 - CON UNA DEDICAZIONE DI GIACINTO LANTERNA

GIACINTO LANTERNA - LIBRERIA DELLA UNIONE - MILANO



# DE ANI FISTULA. THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

## I.

**U**LCUS altum, quod latiori fundo procedens, exteriori & angustiori terminatur ore, sive sit callosum, sive callo non inducatur, fistula audit. Hæc pro variis partibus affectis vario distinguitur cognomine: lacrymalis, salivaria &c. nuncupatur, si ē lacrymarum, aut salivæ viis, fistulæ rivulus dimanet. Quæ circâ anum sedet, vel est anomala, vel urinaria, vel stercoralis: anomala dicitur; si, urethrâ & recto intestino illæsis, inter textum cellularem, musculos, ossa-ve serpit: urinaria; urethrâ parte-ve quâlibet vesicæ exesâ: stercoralis; recto perforato. De stercorali tantùm dicere animus est.

## II.

In completam & incompletam distinguere est fistulam ani. Illa intùs hiat & forinsecus; intestinum, tegumenta p-

A

2

dicis perforat : hæc foras impervia , externi expers ostii , intestinum duntaxat perfodit. Differt utraque sede , formâ , es- sentiâ , tempore. Alia in ani margine hæret ; alia per trium quatuor-ve digitorum latitudinem reptans , foras se prodit ; alia ab intestino serpit ad os usque facrum , coxas , femora ; alia ab utero , vesicâ , ipsâque penis radice spatiata , gyros neicit. Simplices modò , modò multiplices , modò recti , flexuosi modò observantur cuniculi ; omnes in unum desinunt , ad intestinum tendentem. Sæpè sæpius unicum inest intestino foramen , & inter plicas sphincteris sedet ; perraro duplex reperias ; rarius etiam perforatur rectum supra sphincterem. Nunc unico hiatu , nunc pluribus foras manifestatur fistula. Mox recens est & simplex ; mox inveterata , duriore callo circum-sessa ; quandòque ossum catie , aut partium intestino adstiratum læsione complicata.

### I I . I.

ORIGINEM ac causas hujus fistulæ stercoralis nunc indagari , operæ pretium ducimus paucis anatomicam ani descripcionem præmittere. Anus est extrellum inferius intestini recti , quod ita terminatur , ut ostio pateat arcto & plicis cutaneis donato. Triplici instructus est musculo ; unus , constrictor sive sphincter ; duo , levatores ab officio denominantur. Rectum intestinum , non ita tamen recto vergens trahite , celluloso textu laxiori ad partes vicinas adnectitur , & in anum ita subit , ut in plicas circulares ipsi cum sphinctere communes desinat. Sed alterius generis plicæ , columnas æmulantes , secundum longitudinem recti directæ , infimum intestini tubum intus ex omni parte fulcant. Inter hasce columnas à villosâ intestini , nerveâ , carneâ demum tunicâ natas , lacunæ quædam reperiuntur , cæci recessus , breves & exiles ductus , sursum aperti , cæci deorsum , quibus cryptæ glandulæ-ve mucosæ humorem suum affundunt. Suis & atteris & venis instruitur podex ; quæ idè hæmorrhoidalium nomen fortiuntur , quod non rarò ab illis per anum crux stillat.

### I V.

Qui vasis in hæmorrhoidalibus manat sanguis , facile lenescit , impedite revehitur , & cùcà anum copiose stagnat ,

3

propter vasorum tenuitatem, inertiam & frequentiorem facum pressionem. Hoc vitium familiare est hypocondriacis, quibus sanguis percrassæ indolis, alvus sicca arque per plures dies adstricta non nisi post vehementiores nisus exoneratur; hystericis; gravidis; parturientibus; remigatoribus; equitantibus & aliis qui curru vesti multum succutiuntur. Quid plura! omnibus commune est, qui sessionem diuturniorem, aut compressionem graviorem circâ anum patientur. Inde hæmorroides, ex hæmorroidibus inflammatio, tubercula seu minores abscessus cutanei, ulcera, horum soboles fistula stercoralis.

CAUSAS inter ratiōrēs, annumeranda sunt corpora extranea; putà calculus stercoralis in lacunas recti detrusus; concretio humoris mucosi easdem lacunas & intestinum inungentis (*a*), qui induratus vel vitiosus membranas recti irritat, inflammationem promovet, &c.; proindeque ulcerose fistuloso pars afficitur: putà ossiculum deglutitum & ad rectum depulsum; quod quidem inter plicas intestini & sphincteris impeditum, rectum pungit, perforat, ad partes cellularates adstas transit, inflammationi textū cellularis ansam præbet & majorem abscessum generat.

FISTULAM stercoralem abscessus etiam anomali adducunt, sive a causâ internâ statim ac quasi de improviso nati; quales tumores critici, febris malignæ putridæ-ve fætus, nec non gonorrhœæ legitimè fluentis & præpostorè suppressæ, &c.; sive a causâ externâ, quales tumores qui ex iictu, casu-ve procedunt, queis supervenit inflammatio, suppuration, &c. Isti porro abscessus anomali (plures etiam ab exitu dicas gangrenosos, vel maximos ab altitudine aut magnitudine) eadem phlegmonum præbent phænomena, telam cellularē ani, integro remanente intestino, primū occupant: deinde pus, humor-ve purulentus, graveolens, fætidus, partes intestini adstas destruit, rectum ferè omni ex parte denudat, illiusque membranas quasi dissolvit. At verò si gravius ali-

(*a*) Platnerus refert, « se aliquando in fistula ani invenisse minorem & rotundum calculum valde durum; is intestino recto proprior sinum formaverat duriori etiam callo obductum; probabile visum, illum ortum fuisse à muco, quo naturaliter intestina intunguntur, qui forre in aliquo sinu, vel lacunâ, duratus fuit, &c. ». Institut. Chir. not. §. 994.

4

cùbi membranæ illæ inflamentur; tūm superveniente ipsomet in loco quasi gangrænā, rectum exulceratur ac perforatur & humor purulentus per alvum foras erumpit: unde superest intestini hiatus seu fistula, quæ puri, humori-ve bilioso aut stercorali, non secūs ac in hæmorrhoidibus internis apertis quandq[ue] accidit, transitum præbet.

V.

NUNC expositis origine multiplice causâ ani fistulæ, jam ad causas callositatis progrediendum. Quidam, ut signum essentiale, callos in fistulis habent; sed immerito: calli enim, cùm fistula recens est ac nova, non existunt; nihil duri, nihil asperi digitis sentitur; deindè tactu percipitur aliquid densum ac renitens; tandem occallescunt fistulæ mæandri, ut præsertim evenire solet in vetustissimis fistulis. Itaque si primaria callorum natura te non lateat, si eorum genesim perquiras; jam rem attentiūs perpendenti patet, illos primū ex perenni humorum inter textum cellularē transitu, deindè ex irrequieta ejusdem irritatione à præsentia humoris natâ exoriri. Etenim jugis continuusque humorum per fistulæ sinum influxus sensim sine sensu folliculos cellulare propius admovet & suprà se applicat; sicque impedit, ne partes diuinae secum cohærent. Ab irritatione verò nascitur cellularis textus phlogosis, quâ folliculi inter se coalescunt & indurescunt. Concludas igitur, callos inesse fistulis quasi per accidens. Hinc apprimè obturato interiori fistulæ hiatu, nullo humore per illius canalem effluente, emollescunt callositates, & demū longo temporis intervallo partes callo duriori obsessa in statum naturalem restituuntur.

V I.

FISTULA completa cereæ candelæ stili-ve exploratione, liquorum injectione & exrementorum exitu dignoscitur. Ad illam verò explorationem non mediocri sagacitate nec minori dexteritate te accingas. Æger commodiori situ collocetur. Nunc digito prius in anum intruso, specillum deindè in fistulam blandè, leniter ac providè inducatur: nunc specillo prius intromisso, dein digitus in anum immittatur, pro facilitiori aut difficiliiori apicem stili in recti

hiatum inducendi negotio. Si digitus ano intrusus stilum, nullā membranā interacente, attingit; tum fistula recti manifestiū cognoscitur. Nonnullis fistulis osculum adeò tenue est & angustum, ut vix conspici aut specillo explorari queat: tuberculum duntaxat se prodit carnosum, rubrum, quandōque renitens, quandōque fungosum, è quo protenditur ad anum durities linearis funiculum amulans, ut in fistulis urinariis, tactu faciliū difficultiūve percipienda; in hoc ce etiam tuberculo, re scrupulosius exploratā, foraminulum quod fistulæ ostiolum est, deprehenditur. Diagnosis quōque non incerta, cùm liquor syphonis ope in unum aut alterum fistulæ foramen immissus, per anum defluit; cùm & humor steroris odore infectus, & fatus, & vermes per ipsam fistulam prodeunt.

FISTULA incompleta difficiliori disquisitione comperitur. His signis dignoscenda: tumor extus prominet mollis, cedematosus, parūm pulsatili comitante dolore: centro tumoris exteriū presso, pus per alvum effluit; quandōque sanies pus-ve subtile sine compressione exteriori per anum stillat & indusia inficit: turunda in anum intromissa, aliquamdiū ibidem relicta & postmodūm educta, aliquod suæ peripheriæ punctum materie purulentā distinctum offert: tactu sagaci percipitur in uno altero - ve recti aut sphincteris ani latere durities, fissura quæ fistulæ principium est: excrementa pure tincta observantur (a): inter alvum exonerandam modò pruritum experitur æger, modò dolorem pungitivum aut pulsatilem, tenesmo conjunctum: sanies effluens ani tegumenta eresypelate afficit.

## V I I.

Quæ simplicior fistula, quæ recentior & brevior, quæ melioris habitū est corpus; eò minori & labore & tem-

(a) Ex quibusdam autoribus; purulenta materies vel ante, vel post fecum alvinarum ejectionem per anum effluit, prout fistulæ fundus vel superiū vel inferiū latitat. In 1º. casu, pus ante exrementorum exitum expellitur: in 2º. puris effusio exrementorum dejectionem sequitur; exrementa enim dum præterlabuntur fistulæ foramen, illud ocludunt, & materiei exitum impediunt; fundum verò dum pertingunt & comprimunt, humoris purulenti tunc expulsionem concitant.

6

pore speranda salus. Sin minus, si fistula multiplex, id est, si aliis vesicæ, uteri, musculorum, ossium-ve fistulis complectetur; si intestinum altiori loco perforetur, nec eò digitus, stilus-ve ferti possit (quod rarissimè accidit): tunc ægrè admodum & sæpius irrito labore curatur. Felicem curationis exitum vix sperare possunt, qui scorbuto, vel lue venereâ (nisi priùs curetur) laborant, qui senio consumuntur, quibus effœtæ vires prosteruntur. Quædam fistulæ cum doloribus intensissimis, virium extenuatione, febre atque quamplurimis aliis symptomatibus conjunctæ videntur. Quædam verò sine notabili molestiâ in ultimam usque senectutem perferuntur: imò etiam veterem fistulam liberè pus emittentem valetudini non nocere, quin & favere experientiâ compertum est; cuius quidem rei exemplum habetur apud Heisterum; qui refert, virum sibi notum, apertâ fistulâ, benè se habuisse; eâ verò consolidatâ, podagrâ mox laborasse; iterumque apertâ, optimè convaluisse. Natura enim his fluxibus jambdudum assueta quasi per fonticulum humores aliundè noxios sæpè sæpius expellit: unde quandòque non curare quam curare præstat.

### V I I.

CURATIO fistulæ variâ methodo instituitur; incisione, excisione, causticis, emplastris & ligaturâ. Incisione aperitur tantum fistulæ sinus (*a*); excisione totus fistulæ canalis & callus circum-scinditur & auferitur (*b*): hâc illa longè prætantior. A quibusdam laudatur corrosivorum applicatio,

(*a*) Albucasis hanc operationem eo modo describit: « Seca cutem ab initio fistula, & tu vadis secando cum tentâ quod est in fistulâ, donec perveniat secatio ubi pervenit tentæ extremitas, & liberatur tenta & cedit ». Cap. 80.

(*b*) Quæ methodus ab Actio delineatur his verbis: « Convenit specillum accipere, & caput ejus in medium fistulæ immittere, ipsumque propellere quo usquæ per inanem meatum progreditur. Deinde medium sinistra manu digitorum in sedem immittens per ipsum specilli caput artipiat, posteà reflectens specillum, & ambas fistula extremitates inter se adæquatæ sinistrâ manu distendat, atque sic omnia corpuseula callosa per ambitum excindat, unico contactu, si id fieri potest. Si verò post sectionem apparuerit callus adhuc infidens, circumscalpatur. Manifestus autem est callus, quum sit subalbidus ac renitens ». tetrab. 3. serm. 2. cap. 11. Lege Paulum Æginetam. Lib. VI. cap. 78.

quam minùs fida & diuturniori dolori obnoxia. Portenti loco habeatur, si emplastrorum ad ani marginem usus ex voto succedat. Alii suppositoria in intestinum indita & diutissimè adhibita prædicant; quibus, hiatus interior obturatur, exulcerati parietes foraminis cum partibus vicinis apprimè coadunantur, cohærent & consolidantur; sicque cicatrix perfecta novum humoris influxum præpedit. Una tandem præ reliquis methodus, ligatura scilicet, nostris hisce temporibus frequentius adhibetur; ideoque nonnihil de eâ delibabimus.

## I X.

LIGATURA, methodus antiqua, ab Hippocratis ævo cognita fuit ac usurpata. « Crudum linum accipias, inquit Hippocrates, ad palmi longitudinem quincuplices & pilum equinum circumdes; deinde initio in specillum summâ parte perforatum immisso, specillum in fistulam dimitatur & simul sinistram manū index in anum intrudatur: ubi specillum contigerit digitum, inflexâ summâ specilli parte, initium lini per digitum adducas & specillum quidem rursus extrahas: lini verò initia bis aut ter connectas, & reliquam lini partem intortam ad nexum deliges. Postea verò dimissum negotia sua obire jubeas. Cærerū quantūm putrefcente fistulā de lino laxatur, tantūm augere oportet ac intorquere singulis diebus ». Quam methodum sacerulis sequentibus etiam vigentem celebrat & Celsus (*a*), & Albulacis (*b*), & Brunus (*c*), & Theodoricus (*d*), & Lanfrancus (*e*), & Cauliacus (*f*), & Paræus (*g*), & Pigræus (*h*), & Fabricius ab Aquapendente (*i*). Quidam contrà ut Job à Meekren, Junckerus, &c. de ligaturâ mentionem facientes eam minimè probant, eò quòd nimis molesta & tarda sit inciso, dolor afflatus, longa curatio. Unde per quendam temporis lapsum ligaturæ methodus veluti oblitione obsita jacuit

(*a*) Lib. 7. cap. 4.

(*b*) Chirurgia pars secunda, cap. 80.

(*c*) Lib. 2. cap. 16.

(*d*) Lib. 3. cap. 42.

(*e*) Doctr. 3. tract. 3. cap. 12. Chirurg. magn.

(*f*) Tract. 4. doct. 2. cap. 7.

(*g*) De fistulis ani. cap. 12.

(*h*) Lib. 5. cap. 6.

(*i*) Lib. 3. cap. 12.

& quasi derelicta. Verum, non sine insigniori nostri hujusce Collegii gloriâ, nostrâ hâc ætate à celeberrimo D. FOUBERT in usum revocata & perfecta, pristinum novumque splendorem obtinuit. Hinc quotidie videoas ægros, à ferro nimis abhorentes, ligaturam ardenter appetere.

Ex filo setaceo aut lineo ligaturam adhibebant antiqui; neotericî filum trajiciunt plumbeum; hanc duobus modis operationem celebrant. Omnes in hoc unum maximè intendunt, ut apex specilli in intestini hiatum intromittatur: si interius foramen non attingant, tandiù nova adhibent tentamina, quandiu illud offendant: nunquam verò acu specilli rectum pertundunt, experientiâ scilicet edocti, hâcce pertundendi ratione fistulam interiore curationi peractæ posse superstitem & intactam omnino remanere. Alii autem in orificio fistulæ exterius inducunt stilem aliâ extremitate retusum, aliâ verò cavum, cui immittitur filum: retractâ, ope digiti in anum intromissi, stili retusâ extremitate, filum adducunt, ansam efformans, cujus extrema intorquent: sic paulatim scinduntur partes, & intra brevius longius-ve, pro minori majori-ve cutis parte nodo comprehensâ & filo discindendâ, temporis intervallum, curatio peragitur. Alii, cùm osculum exterius ab ano magis distat, specillum flexible & sulcatum in fistulam intromittunt, & tegumenta scalpello incidunt ferè juxta ani marginem; posteà filum per sulcum specilli longitudinalem trajiciunt, &c: sic præviâ tegumentorum incisione, curatio brevius absunt tempus, minoremque affert dolorem: quin & post sectionem filo peractam, nulla apparent tubercula dura, renitentia & molesta; quæ ab alterâ methodo sâpè numerò procedunt, non nisi excisione aut causticorum applicatione postmodum destruenda.

An variis curandæ fistulæ modis, præsertim verò incisioni ligatura præstet? affirmant alii, alii negant. Ut ut sit, nullum gravius incommodum hæc posterior affert. Ecquid enim ex eâ sequitur? Primo ab operatione die, non nisi leviorum ad anum dolorem experitur æger, dummodò filum circa partes nodo comprehensas laxius intorqueatur (*a*), easque blandâ

(*a*) Celsus admonet, « ita vinciendum esse cum altero capite linum ut laxè cutem teneat; rationem quidem curationis longam esse, sed sine compressione

9

compressione constringat : secundo die , phlogosis partium adnotatur : tertio , parcum pus effluit , sicque etiam intra curationis tempus stillat : elapsis sex octo-ve diebus , ubi carnes incipiunt filo incidi , iterum intorqueatur filum , & sic iterum atque iterum , quod plūs incidentur partes . Interea , Celso teste , *id sanescit , quod à filo relinquitur* . Filum tandem vel decidit , vel quod cutis residuum comprehendit , tantulum est , ut forcipibus aut scalpello facilius & citra graviorem dolorem excidatur . Tum peractâ sectione , ulcus fit apertum , quod cicatrice mox obducitur . Sic intra triginta , quadraginta-ve dies curatio absolvitur ; nec accidentia superveniunt , quæ vulgo incisionem sequuntur , nimirum hæmorrhagia , febris , dolores præsertim acuti quibus torquentur ægri , cum vulnus non nisi linamentis , ellichniis , &c. in intestinum intrusis & in vulneris parietes expansis & depresso curari queat . Quantò igitur incisioni ligatura præstat ! Cujus præstantiae laudes ut paucis absolvamus ; addimus , ægrum , ligaturæ methodo , à diætæ molestiis expediri , nullo novo egere linamentorum post singulas fæcum alvinarum ejectiones apparatu , tandem rebus suis motui que ad sanitatem perutilissimo indulgere posse , ut jure ac meritò animadvertisit Celsus : *Interim licet negotia agere , ambulare , lavari , cibum capere atque perinde sanissimo.*

dolore . Qui festinat , astringere cutem lino debet , quo celerius fecerit , noctu que penicillo tenuia quædam intus demittere , ut cutis hoc ipso extenuetur , quo extenditur . Sed hæc dolorem movent .

*F I N I S.*

